

## CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

*Level Two Medieval Latin Examination*

**10 September 2021**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. You have three hours to complete the exam. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

### **1. The bishops of Ravenna reprimand Ranier, Bishop of Florence**

Debita tibi salutationis officia mitteremus, si sciremus te communionis nostre. Sed cuius sis, incertum habemus, quia quam partem teneas ignoramus. Ceterum discurrentibus plurimis laicis et clericis Florentia redeuntibus et te dicere solitum attestantibus Antichristum exortum, orbis commotus est universus, fit ubique gentium strepitus et tumultus, admirationis plurimum, commotiones et scandalum per omnes civitates et vicos, et omnino per ora omnium nec aliud dicitur nec aliud queritur nec aliud predicatur. Quam ob causam, licet in litteris rudes simus, ad nos tamen recurritur et ab omnibus convenimur, ut que sit super his nostra sententia, proferamus. Videmur autem nobis audire nova quedam et inaudita portenta verborum, et ut pace tua sit dictum, novus propheta, novus apostolus, immo novus diaboli prenuntius exurrexit, qui non solum sibi prophetarum usurpet officium et apostolorum misteriis abutatur, sed etiam super prophetas videri velit et apostolum doceat esse mentitum. O nova presumptio! Quod nullus potuit prophetarum, tibi vis videri concessum!

## **2. Priests: let not the love of profane profits obscure the light of the Lord**

Si diligenter attendimus, etiam et illud ad nos pertinere cognoscimus, quod beatis apostolis dominus dixit: *vos estis*, inquit, *lux mundi*, et *nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*. Sicut enim oculi, qui in capite sunt, si reliquis membris viam demonstrare noluerint, totum corpus in tenebris ambulat, ita enim sacerdotes, qui in corpore Christi capitibus vel oculorum officium habere videntur, et in candelabro sunt in ecclesia constituti, si in domo dei lucere noluerint, et lumen doctrinae universae ecclesiae dissimulaverint demonstrare, timendum est ne aliqui ex populis errorum tenebris involuti in aliquod peccati praecipitum cadant. Nec illud otiosus est, quod dominus lucernam dixit verbum, secundum illud: *lucerna pedibus meis verbum tuum domine*. In modio autem propter mensuram intellegitur praesentis saeculi lucrum. Quis enim ponit lucernam sub modio, nisi ille qui lumen doctrinae obscurat lucro corporalium commodorum, et timet quae vera sunt praedicare, ne minus habeat quod optat temporaliter possidere? Et sic lucernam sub modio ponit, qui lucris spiritualibus corporalia lucra preeponit.

## **3. Henry commits to Henry the power to commute a pilgrimage to other pious works**

Henricus permissione divina Cantuarensis archiepiscopus dilecto in Christo filio magistro Henrico Rumwortho archidiacono nostro Cantuariensi salutem. Pro parte dilectorum in Christo filiarum religiosarum mulierum Cristine, Anne, Regnilde et Cristine de Suevia ordinis sancte Brigide professarum nobis fuerat supplicatum, quatinus—cum ipse nuper in mari existentes votum visitandi sepulcrum sancti Thome Cantuarie emiserint, ipsum tamen votum hucusque variis de causis impedita non perfecerint, ipseque jam domum de Sion Londoniensis diocesis ordinis supradicti ibidem permansure ingressse fuerint—super ipso voto dispensare aut saltem ad alia opera caritatis commutare dignaremur, nos ipsam earum petitionem honestam et juri consonam reputantes, maxime ut mulieribus ordinem regularis professis omnis evagandi tollatur occasio, ad dispensandum cum prefatis religiosis mulieribus super voto predicto, aut saltem auditis circumstanciis emissionis voti predicti ipsum, si vobis videbitur, ad alia pietatis opera commutandum, vobis, de cuius circumspicione confidimus, tenore presencium litterarum committimus potestatem.

#### 4. A Poem of Praise for Paul, a Learned Priest

*Perspicua clarum nimium cum fama per aevum  
Astra simul iunctum pangant te coetibus almis:  
Veridicos, levita, tuos quis, summe, triumphos  
Lucifluis, Paule, poterit depromere dictis?  
  
Ut tua sed lector properans huc noscat et hospes  
Sacrata tumulo requiescere membra sub isto,  
Laudis, amande, tuae summatim carmine digno  
Almificos actus dignum est reserare canendo.  
  
Eximio dudum Bardorum stemmate gentis,  
Viribus atque armis quae tunc opibusque per orbem  
Insignis fuerat, sumpsisti generis ortum.  
  
Tam digna, postquam, nitidos ubi sepe Timabus  
Amnis habet cursus, genitus tu prole fuisti,  
Divino instinctu regalis protinus aula  
Ob decus et lumen patriae te sumpsit alendum.  
  
Cum tua post ibidem populis et regibus altis  
Tunc placida cunctis vita studiumque maneret:  
Omnia sophiae coepisti culmina sacrae,  
Rege monente pio Ratchis, penetrare decenter.*